



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vniversis Fidelibvs Ad obsequium Christi signatis contra Provinciales hæreticos vel signandis tam in regno quàm extra regnum Franciæ constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

vos Antichristi præambulis, & pugnate cum serpentis antiqui ministris. Pugnastis fortassis hæcenus pro gloria transitoria, pugnate jam pro gloria sempiterna. Pugnastis pro corpore, pugnate pro anima. Pugnastis pro mundo, pugnate pro Deo. Non enim pro præmio qualicumque ad tantum Dei servitium vos hortamur, sed pro regno cælesti, quod vobis ob hoc confidentissimè pollicemur. Datum ut supra.

UNIVERSIS FIDELIBVS AD obsequium Christi signatis contra Provinciales hæreticos vel signandis tam in regno quàm extra regnum Franciæ constitutis.

Epist. 211. De præsentibus in apostolica sedis.

Cum orthodoxæ fidei zelo succensum ad expugnandam hæreticam pravitatem decreveritis proficisci, auctoritate apostolica constituimus ut ex quo vivificæ crucis signum ad expugnandum hæreticos secundum ordinationem Legatorum nostrorum in vestris pectoribus susceperitis, cum personis, terris, possessionibus, hominibus, ac ceteris bonis vestris sub protectione sedis apostolicæ maneatis, & donec de vestro reditu vel obitu certissimè cognoscatur, ea omnia in suo statu libera maneant & quietæ consistant. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis &c. usque in finem. Datum ut in alia.

REGENSI ET CONSORANENSI Episcopis, & Abbati Cisterciensi, apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 212. De negotio comitis Melgioris.

Licet nobis jamdudum Comes Tolosanus per suos nuntios supplicaverit ut super comitatu Melgiorensi, qui beati Petri juris & proprietatis existit, fidelitatem ab eo recipere dignaremur, ne tamen ipsum hoc modo quasi confirmare videremur eidem, preces suas non duximus admittendas, considerantes hoc ipsum quod tu, fili Abbas, per tuas nobis litteras suggestisti, ut videlicet si fortassis in incepta malitia pertinaciter perduraret, ipso demum eo juxta meritum spoliato, statueremus de ipso quod Ecclesiæ negotio expediret. Quia verò à nobis est sollicitè requisitum qualiter procedendum sit circa comitatum eundem fideli exercitui signatorum, id vobis providimus suadendum, quatinus ad Apostoli dicentis, *Cum essem astitus, dolo vos cepi*, magisterium recurrentes, cum talis dolo prudentia potius sit dicendus, deliberato cum eorundem signatorum prudentioribus opportuno consilio, divilos ab Ecclesiæ unitate

Tom. II.

divisim capere studeatis, dummodo videritis quòd ex hoc idem Comes vel alius minus assistere vel per se ipsum minus debeat insanire, non statim incipiatis ab ipso, sed eo primitus arte prudentis dissimulationis eluso, ad extirpandos alios hæreticos transeat; ne si scamis Leviathan sese conjungentibus unà vi fueritis simul omnes aggressi, tanto demum hujusmodi satellites Antichristi difficilius possint conteri quanto pertinacius ipsos in unum conjunctionis vinculum contingeret glomerari. Sic enim & illi facilius sterni poterant remissius adjuti per istum, ac iste illorum interim visâ strage ad cor fortasse redibit, vel si perseveraverit in malitia, tandem contra ipsum & solum & destitutum levius procedatur. Hæc ergo vobis suggerimus ad cautelam. Vos autem, qui rerum circumstantias eò pleniùs quò præfentiùs agnosceatis, sic vel aliter circa singula procedatis quemadmodum tam vobis quàm aliis quorum fuerit utendum consilio de cælo fuerit revelatum, circa præfati Comitis negotium processuri prudenti deliberatione præmissâ, prout ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ videritis expedire.

E I S D E M.

Super negotio signatorum & hæreticorum excidio litteras vobis destinamus ad præsens quales novimus expedire. Monemus ergo discretionem vestram & exhortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus prout opus fuerit ipsis utentes, prudenter atque constanter circa singula procedatis, ante omnia & in omnibus cautè ac sollicitè providendo ut illam servent &c. *sicut in prima.*

Epist. 213. De negotio fidei.

E I S D E M.

Licet nobilis vir Guido Comes Alvernensis circa captionem venerabilis fratris nostri Claromontensis Episcopi germani sui graviter excessisse noscatur, quia tamen nulli veraciter pœnitenti debet venia denegari, precibus ejusdem Episcopi, qui super hoc nostro apostolatu supplicavit, inducitur, & zelo utilitatis ecclesiasticæ provocati, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si hoc Ecclesiæ noveritis expedire, cujus negotium multipliciter posse per eum dicitur adversus hæreticos promoveri, præfato Comiti secundum formam ecclesiasticam absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eidem quod talibus

Epist. 214. Ut absolvant Guidonem Comitem Alvernensem. Vide supra lib. 1. epist. 498.

K k ij